



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

CLXXI. Statuten der Altaristenbrüderschaft zu Frankfurt, bestätigt von den Bischöfen Wenzel am 29. September 1379, Johann am 16. April 1386 und Johann am 24 Juli 1396.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

CLXX. Die Stadt Reppen verspricht Vergessenheit für Alles, was die Stadt Frankfurt ihr auf Befehl des ehemaligen Markgrafen Otto gethan, am 7. März 1379.

Vor alle dy gene gemeynlich vnd ouch besunder, dy dessen Bryf seyn, ader horen lezen, bekenne wir ratluth vnd gefworn gezutlich der Stat tzu reppin vnd dy gantz gemeyne dorfbilt vor vns vnd vnser nachkomen, Daz vmme alle geschycht, dy dy von frankenuorde von geheyses wegen marggraben Otten von Brandenburch, der zu der tzyt ir vnd vnser her was, an vns getan haben, fruntlich vnd zimlich vntseheyden ist, also daz wyrs ader vnser nachkomen arm ader rych nummer meyr des gedenken sullen vnd wollen myt worthen, noch myt werken vnd ouch dy dorch vnsern wille thun vnd lazen wollen, Szunder wyr sullen vnd wollen en dynen myt libe vnd myt güthe wylychlich myt gantzen flytze. Des zu orkunde habe wyr dessen brif vorfigelt myt vnsern angehangen Ingefelgel, der gegeben yst nach gotis gebort dryzenhundert iar, darnach in dem nughen vnd sybenstygen Jare des negeften mayntaghes nach dem andern suntaghe in der fasten, als dy heylige kyrche synghet Reminiscere miseracionum.

Nach dem Originale des Stadtarchives VIII, 3, 10.

CLXXI. Statuten der Altaristenbrüderschaft zu Frankfurt, bestätigt von den Bischöfen Wenzel am 29. September 1379, Johann am 16. April 1386 und Johann am 24. Juli 1396.

Nos Wencelaus, dei gracia Lubucensis Episcopus, Vniuersis Volumus esse notum, quod Honesti Viri Altariste Beate Marie parrochialis Ecclesie in frankinforde ac dominus thomas, dictus Beyer, plebanus Ecclesie parrochialis predictae ibidem, coram nobis quedam Statuta fraternitatis ipsorum per ipsos condita nobis exhibere fecerunt, Petentes, Quatenus eadem Statuta confirmare et approbare dignemur, quorum staturorum tenor sequitur per omnia in hec in verba. Salomon Ecclesiastes III^o capite dicit: Ve soli, si ceciderit, non habebit subleuantem se. Et ibidem: Melius est, esse duos quam vnum, habent enim emolumentum societatis sue. Et ideo eciam per psalmistam dicitur: Ecce, quam bonum et quam iocundum, habitare fratres in vnum, per pluralitatem communionem approbans societatis, per vnitatem amorem et concordiam fraternitatis, Vnde sequitur, Quoniam illic mandauit dominus benedictionem, id est, fratres concordem benedicit. De hac concordia scribitur actorum III^o: Multitudinis credencium erat cor vnum et anima vna Ex hiis itaque sanctorum doctrinis informati, ad euitandum solitudinis et exilii periculum, per quam scilicet solitudinem multas negliencias circa sacerdotum exequias minus honeste et indecenter factas in frankinfordis fieri percepimus, et ad habendum fraternitatis auxilium, ut processiones et exequie mortuorum honestius peragantur et deuocius pro eis oraciones et commemoraciones fiant, Nos Altariste Ecclesie Sancte Marie parrochialis in frankenuordis, vna cum domino plebano hildybrando felices recordacionis, necnon domino thoma Beyer iam existente plebano ecclesie predictae, elegimus inter nos fraternitatem, In qua quidem fraternitate alter alterius onera portare de-

bemus et mutua caritate invicem sic nos diligere, ut nulla nos aduersitas valeat separare. Ne ergo
 separemur per fratres malos et inobedientes, idcirco bonis fratribus est vtendum, dicente psalmista:
 Cum sancto sanctus eris. Vnde Jeronimus: Illum habeas in comitatu, cuius habitus, vita, incessus
 sunt doctrina virtutum. Et licet bonitate increata nemo sit bonus, nisi solus deus, et bonitate na-
 ture sint bona, sicut legitur Gennesis capite I^o: Vidit deus que fecerat cuncta, et erant valde bona.
 Bonitate tamen morali boni sunt et mali, et de hac dixit saluator Mathei VII^o: non potest arbor
 bona fructus malos facere, et hac bonitate presumendum est, quemlibet esse bonum, nisi probetur
 manifeste contrarium. Vnde si quis fratrum errauerit, corrigendus est ab hiis, quos ad corrigend-
 um elegimus, secundum penam infra statutam. Fratres vero omnino incorrigibiles sunt penitus
 vitandi, vt docet Apostolus secunde ad tessalonicenses III^o dicens, denunciamus vobis fratres In
 nomine domini nostri Jesu Cristi, vt abstrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante, quia
 mala conforcia corrumpunt bonos mores, vt dicit apostolus prime ad corinthios XV^{mo}. Igitur,
 fratres carissimi, ut fraterna inter nos concordia teneatur, Quedam Statuta a nobis seruari decreui-
 mus, per que nostra contumacia comescatur et fraterna inter nos concordia foueatur. Vnde
 videndum est, que sunt illa. Primo enim concorditer statuimus, quod numerus clericorum tam al-
 taristarum Cappellanorum quam plebanorum circumfessionum sit certus ita, quod sint triginta sex
 in numero et non plures ne multitudo fratrum nos confundat, quia vbi multitudo, ibi confusio. Et
 quia gubernacione, consilio et auxilio laicorum indigemus, volumus, vt numerus laicorum duodena-
 rium non excedat. Item statuimus, quod de clericis, non de laicis, eligantur duo discretiores et
 honestiores, qui vocentur rectores fraternitatis, qui non mutentur, quamdiu vixerint. Et duo prou-
 fores singulis annis quatuor temporum Septembris de communi electione Clericorum ex numero
 clericorum eligantur. Qui quidem proufores ex consilio et auxilio rectorum omnia legata et do-
 nata acceptent ceteraque negocia fraternitatis fideliter expediant et de perceptis coram rectoribus
 et antiquis prouforibus rationem suarum reddant procuracionum. Contradicentes vero supradictis
 electionibus sine rationabili causa vno floreno Boemicali mulctandi sunt, et si amplius contradixe-
 rint seu rebellauerint, a conforcio fraternitatis penitus excludantur. Statuimus eciam, quod vnus-
 quisque nostrum cuncta, que secuntur, sine omni murmure et reluctacione exequi studeat in omni
 paciencia, modestia atque pace. Vnde conuenientibus nobis in vnum, nemo nostrum alteri conui-
 cia aut contumeliam dicat aut impropere vel certe absenti detrahat in postergum, quia qui verbo
 non offendit, hic persanctus est vir. Sed si quit cause nascitur inter fratres, ad Rectores et ad
 proufores supradictos discedendum deferatur, nec quisquam proprie injurie erit vltor, sed ipsorum
 arbitrio pena infligetur excedenti secundum enormitatem culpe et excessus. Restat nunc videre de
 conuocacione fratrum, pro quo sciendum, quod quatuor temporibus anni conuenire debeamus, scilicet
 proximis dominicis post quatuor tempora, exceptis specialibus congregacionibus aliis occurrentibus,
 que per famulum fraternitatis singulariter fratribus pronunciantur. Quicumque sic vocati venire
 contempserint, sub pena talenti cere a prouforibus condempnentur. Contradicentes hanc penam
 vel quancunque hic statutam dare penitus excludantur. In supradictis insuper dominicis quatuor
 temporum conuenire volumus ac decantandum vigilias et missas pro fratribus defunctis, tam laicis
 quam clericis, et antequam incipiantur vigilie seu misse defunctorum, processionem faciemus per
 Cimiterium superpelliciatu cantantes concorditer absolute cum ceteris. Qui autem hanc processionem
 neglexerit seu superpelliciatu non processerit, pena vnus grossi puniatur. Ffinita processione ves-
 pertina statim vigilie per proufores anni preteriti incipiantur, Qui tam in missis quam in vigiliis
 vero negligant intonare, sub pena vnus grossi. In quibus eciam vigiliis proufores presentis anni

chorum equaliter diuidere debent, lectoresque lectionum et versuum cantores, et vt in medio versuum psalmodiarum quodammodo pausetur, et responsoria mediocriter cantentur, ordinare non negligant. Et in omnibus vigiliis nullus cum alio submissa voce vigiliis legere presumat sub pena vnius grossi, nec aliquis exire debet sine legitima et rationabili causa ante finem vigiliarum. Similiter et missae omnes interesse debent superpellicciati, quilibet ergo legat missam suam pro defunctis ante tercium pulsus missarum, exceptis hiis, qui per publicam missam occupabuntur. Finitis vigiliis incipiatur vna anthiphona de Beata virgine, qua finita fratres simul ad collacionem vadant, audituri, quid de agendis et salute animarum tractandum sit. De mane infra missam defunctorum post ewangelium fiat commemoracio fratrum defunctorum extra chorum coram omni populo. In quibus quidem vigiliis et missis lumina et alia feretralia per nuncium fraternitatis iussu procuratorum disponantur. Item procuratores ementes ceruiciam et alia necessaria in congregacionibus fratrum accipiant tum a quolibet tam layco quam clerico, quantum pro solucione viderint expedire. In congregacione certe fratrum quatuor temporum Septembris prima missa cantabitur solempniter de beata virgine maria, secunda pro defunctis, ut supra, et tunc procuratores prouideant de commescione quinque ferculorum, ad quam Magister cum sociis suis invitabitur, si rectoribus cum prouisoribus videbitur expedire, et alii quos ad vtilitatem et honestatem fraternitatis decreuerint invitandos. Et prouisores ordinabunt ministris seu dapiferis huius commescionis. Si autem procuratoribus cum fratribus videbitur expedire, ordinabitur et cena. In prandio autem procuratores tali ordine ordinabunt confratres, quod Clerici secundum dignitates suas et annos sedeant in vno ordine mense, et laici secundum suas dignitatis in alio ordine eiusdem mense. Quibus postis precipue sex, vt decet in conuiuio sacerdotum, sunt obseruanda, que habentur XLIII^a d. conuiuia, vt videlicet vita abscencium non mordeatur, vt presentes non irrideantur, vt inania secularium non recitentur, vt verba sacre lectionis legantur et audiantur, et ut cibus non nisi ad sustentacionem sumatur nature, vt in principio et in fine laudes deo referantur. Item statuimus per verba affirmancia, quod quicumque laycus nobis aptus dederit vnam sexagenam grossorum et duo talenta cere, ad fraternitatis vtilitatem et subsidium, recipiatur in confratrem, dummodo numerum laycorum supra statutum non excedat, et erit particeps oracionum nostrarum, non obstante elemosina seu testamento nobis ab eodem dando in futurum. Qui quidem laycus sic receptus de placitis fraternitatis et consiliis clericorum, non se intromittat, nisi ad hec specialiter vocatus fuerit et requisitus. Quicumque eciam clericus seu sacerdos in confratrem accipitur, si verus est altaris, det ad fraternitatem vnam sexagenam grossorum et duo talenta cere, si autem fuerit officians alicuius altaris, det ad fraternitatem VIII grossos et vnum talentum cere, Et si extraneus fuerit clericus seu plebanus, det in tantum, quantum verus hic altaris. Item statuimus, vt quilibet frater veniens ad congregacionem fratrum, quocienscunque hoc fuerit in anno, secum portet pecuniam suam paratam pro refectione et ceruicia dandam procuratoribus, antequam recedat a conuencione fratrum. Item quilibet se absentans a congregacione fratrum det tantum, quantum presens, nisi rationabili causa se expurgauerit. Item omnis, qui eligitur ad fraternitatem, cum electus sit in vna congregacione fratrum, ad secundam proxime venturam portet secum pecuniam et ceram supra statutam, vltra non protrahendo. Item vt omnia, que hic statuta sunt, permaneant firmiter, et ne aliquis plebanorum predictae Ecclesie aliquod contra nos preiudicium fingat sue ecclesie, ideo prius concordauimus cum domino nostro thoma Beyir plebano huius Ecclesie, ut nullus fratrum laicorum manifestam faciat memoriam coram populo post ewangelium missae nostre, nisi prius habuerint seu acquisierint ipsi laici per se uel per amicos eorum post mortem memoriam a plebano perpetuam in libro defunctorum. Secundo, quod in omni testamento fa-

ciendo fratribus plebanus precedat cum testamento suo cum cappellanis suis tam in fratribus quam alienis, si autem testamentum non fuerit factum plebano nec cappellanis, sed solum fraternitati, tunc quartam partem testamenti fratribus facti plebanus optinebit cum suis Cappellanis, exceptis calicibus, ornatibus et aliis huiusmodi, cuiuscunque sint reputacionis uel taxe. Eciam si darentur nobis redditus appropriandi ad altare seu ad altaria fundanda et costruenda, ad illos redditus sic fratribus assignatos seu assignandos plebanus nichil iuris optinebit, nisi quantum alia altaria in Ecclesia sua parrochiali sita de Jure et consuetudine soluere tenentur, scilicet annuatim XL^{ta} grossos. Nos Wenceslaus Episcopus prefatus petitionibus Altaristarum predictorum annuentes, predicta statuta confirmamus et approbamus, Mandantes omnibus, quorum interest, Quatenus prefata statuta teneant et obseruant. Volentes quoque, diuinum cultum non minui sed augeri, omnibus Crisfi fidelibus contritis pariter et confessis, qui cum deuocione et humilitate missis, uigiliis et processionibus in dicta fraternitate quociescunque decantandis et faciendis interfuerint, auctoritate omnipotentis dei et Beatorum petri et pauli eius Apostolorum confisi de iniunctis sibi penitenciis quadraginta dies indulgenciarum in domino misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium nostrum nostri ac domini thome plebani in frankenuord predicti Sigilla presentibus sunt appensa. Datum Lubus, Anno domini Millesimo trecentesimo Septuagesimo nono, in die sancti Michaelis Archangeli. Insuper adiecerunt altariste et plebanus predicti, quod omnes uigilie et misse in dicta fraternitate decantande et celebrande alibi non debent, quam in choro Beate Marie uirginis in frankenuorde decantari et celebrari.

Nos Johannes, dei et apostolice Sedis gracia Episcopus Ecclesie Lubucensis, Volentes eciam, quantum in nobis est, cultum diuinum augmentare, suprascriptam fraternitatem et alia inde secuta, uestigiiis predecessoris nostri inherentes, ratam atque gratam habentes, eam auctoritate ordinaria approbamus et presentis scripti patrocinio communimus, Omnibusque Crisfi fidelibus uere confessis et contritis, qui decantacioni uigiliarum ac missarum predictarum aut vni earum deuote interfuerint, uel pro reparacione ornamentorum dicte fraternitatis manus porrexerint adiutrices, Quadraginta dies indulgenciarum auctoritate omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius confisi de iniunctis sibi penitenciis in domino misericorditer relaxamus. Datum in forstwald, Anno domini Millesimo Trecentesimo LXXX^{mo} sexto, Mensis Aprilis XVI. die, nostro Sigillo in testimonium premissorum presentibus sub appenso.

Nos Johannes, dei et Apostolice Sedis gracia decretorum doctor, Episcopus Lubucensis, Statuta prescripte fraternitatis et Confirmacionem antecessorum nostrorum auctoritate ordinaria approbamus, ratificamus et ex certa nostra sciencia in his scriptis eciam confirmamus, Quadraginta quoque dies indulgenciarum modis omnibus preexpressatis auctoritate omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius confisi de iniunctis sibi penitenciis in domino misericorditer relaxamus. Datum lubus, Anno domini M^o CCCXCVI^o, XXIII die Mensis Julii, nostro sigillo in testimonium premissorum omnium presentibus subappenso.

Nach dem Orig. des Stadtarchives, Gen.-Confirm. 16.